



**Ioannis De Lvgo Hispalensis, Societatis Iesv, S. R. E. Tit.
S. Balbinæ Presbyteri Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales De Virtute Fidei Divinæ**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1656

IV. Impugnantur responsiones aliquorum recentioru[m] ad superiora
argumenta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81031)

obiecta credere sine noticia, aut cognitione reuelationis. Vnde constat, non minus requiri cognitionem veritatis diuinæ, cum assensus fidei non minus sit propter Dei veritatem, quam propter eius testimonium, vt probat etiam idem Hurtado ubi supra sect. 3. in hoc enim puncto, quia res est clara, non oportet amplius immorari. Videamus nunc, quomodo aliqui Recentiores respondere conati sint nostris argumentis, vt defenderet, fidem sistere in ipsa reuelatione, quamuis eius veritas ex terminis non constaret.

SECTIO IV.

Impugnatur responsiones aliquorum Recentiorum ad superiora argumenta.

37 **A**D nostra argumenta respondent Recentiores aliqui recurriendo ad mysteria, & ad eleuationem, qua Deus eleuat nostrum intellectum, vt vltra omnem modum sibi connaturalem, & solitum operandi, aliter operetur in rebus fidei, & ad hoc infunditur fidei habitus, qui ex natura sua potest tendere in reuelationem taliter propositam, cuius existentia, licet intellectui soli non proponatur sufficienter, vt possit in eam propter se ipsam tendere, (nam intellectus suis viribus relictus nunquam potest tendere nisi vel in conclusionem propter aliud, vel in principia, quæ consent vel euidenter, vel saltem probabiliter ex ipsis terminis apprehensis) intellectui tamen cum habitu infuso fidei sufficienter proponitur reuelatio, vt primum principium quod possit credere sistendo in ipsa, qui modus operandi non repugnat intellectui eleuato, nec potest assignari implicancia contradictionis: & aliud non possumus aliter explicare, quomodo nostra fides resoluitur vltimo in reuelationem Dei sistendo in illa, quare licet hoc ipsum difficile percipiatur, credendum est.

38 Ego quidem odi hunc philosophandi, & theologizandi modum, vt propter quamlibet scholasticam difficultatem recurramus ad mysteria, quibus res nostræ fidei difficiles, incredibiles, impenetrabiles omnibus reddamus, dū eis persuadere volumus, illa ipsa, quæ in se ipsis experiuntur, alia esse ab iis, quæ ipsi experiuntur. Omnes enim fideles experiuntur se credere, & operari circa res fidei, sicut circa alia obiecta, nec suum intellectum transferri ad alium modum operandi circa obiecta absque obiecto; modum, inquam, adeo diuersum, qualem nunquam in rebus aliis habuerant; sicut si voluntas eleuaretur ad amandum aliquid nondum propositum vt bonum: quod licet daremus esse possibile, non fieret tamen absque eo quod homo aduerteret, & miraretur in se illum modū amandi adeo diuersum ab eo, quem in rebus aliis amandis semper habuerat. Numquam autem fideles agnoscunt talem diuersitatem in suo intellectu, sed potius experiuntur, suum intellectum eodem modo procedere, & operari quærendo veritatem, & illam prosequendo, sicut in aliis obiectis. Vnde merito S. Thomas *infra q. 171. art. 2. ad 3.* dixit, actus fidei, & alios similes, qui sunt ab habitibus infusis, non esse *supernaturales secundum substantiam actus, sed solum secundum modum*. Quibus verbis non voluit, ipsam entitatem actus non esse supernaturalem, sed solum non esse talem, vt

non possit viribus naturæ fieri alius similis in modo tendendi ad suum obiectum, sed potius seruare in omnibus naturam, & conditiones potentie intellectiue, vt eodem modo tendat intellectus per eos actus supernaturales ad obiecta sicut per naturales tendere solet ad alia obiecta. Munus ergo Theologi Doctoris hoc est, non quidem imaginari sibi naturas rerum, provt ipse sibi vult fingere ad dissoluenda argumenta, & persuadere tales esse contra id, quod omnes experiuntur; sed potius consulere experientiam ipsam & sensum fidelium, & ex iis inuestigare, qualis sit natura, & operatio talium habituum: facilius enim est, quod ipse decipiatur in aliquo principio speculatiuo, quod sibi finxit, quam quod fideles omnes decipiantur, dum putant se tali modo & circa tale obiectum operari, cum reuerà, alio longe diuerso modo, & circa aliud obiectum omnino diuersum operentur.

Potro experientiam omnium fidelium contrariam esse illi modo explicandi, probatur primò clarissimè, quia rusticus nullam profus diuersitatem in obiecto formali, aut in modo operandi experitur, quando credit articulum fidei verum, vel quando credit articulum falsum, vtrumque sibi à Parocho propositum: vtriusque enim assensum sibi per voluntatem imperat, & conatur eodem modo, atque eadem firmitate credere, nec vllum vestigium diuersitatis experitur in vtroque assensu. Cum tamen iuxta illum modum opinandi intercedat tūc diuersitas plus quam generica, non solum in naturalitate & supernaturalitate actuum, sed etiam in ipso obiecto formali, & in modo tendendi ad aliud: nam circa articulum verum datur actus, quo creditur ille articulus propter reuelationem Dei sistendo in ipsa reuelatione, qui actus nullo modo tendit, aut respicit alia motiua, sed credit reuelationem tanquam primum principium sufficienter propositum intellectui eleuato, exercendo modum quemdam tendendi insolitum ad primum principium, quod in seipso nec euidenter, nec probabiliter apparet. At verò circa articulum falsum exercet actum solum naturalem, quo credit articulum propter reuelationem, nō sistendo in ipsa, sed credendo ipsam reuelationem propter testimonium Parocho, & alia motiua sibi proposita: cum enim ille actus sit naturalis, non potest tendere in reuelationem sistendo in ipsa, quia hic modus tendendi est supra vires naturales intellectus, vt hi Theologi concedunt. Cum ergo illi duo actus adeo sint diuersi, & adeo diuersa obiecta formalia respiciant, deberet aliquando fidelis posse in se ipso agnoscere hanc tantam diuersitatem, & tamen euidenter constat, nunquam ab aliquo potuisse talem diuersitatem agnoscere.

Dicunt aliqui, assensum supernaturalem fidei, cum sit supernaturalis, nō cognosci vnquam ab habente illum, sed solum cognosci alium actum naturalem concomitantem, qui cum non habeat illum modum tendendi, nec sistat in ipsa reuelatione, sed resoluitur semper in motiua humana, hinc est, quod semper experiamur actus eiusdem rationis, quia semper experimur actus solum naturales, qui semper habent eundem modum tendendi, & idem obiectum formale.

Sed contra hoc est, quod supponitur in hac responsione actus fidei diuinæ, quos habemus nunquam à nobis cognosci, sed alios fidei humanæ, quod tamen falsum esse probabimus *infra sectione*

Etione 9. Deinde ex hoc ipso argui potest falsitas illius sententiæ, quia ponit in actu fidei talem modum assentiendi, qualem nūquam aliquis expertus est in suo intellectu, sed semper modum contrarium. Quis ergo credat assensum fidei diuinæ talis esse naturæ, & in tale obiectum formale tendere, cuius contrarium omnes semper in se ipsis experti sunt? Certè hoc pueris nimis credulis persuadere vix poteris. Alioquin diceret alius quoties amamus proximum propter se ipsum, dari in nobis alium actum supernaturalem, quo amamus proximum propter Deum, quem tamen actum non cognoscimus, quia supernaturalis est. Item quoties amamus Deum, dari in nobis actus supernaturales nobis incognitos, quibus volumus obiecta omnium virtutum propter Deum; item quoties credimus fide diuinā, dari in nobis scientiam infusam eorūdem obiectorum, vel fortasse etiam visionem clarā Dei: hos tamen omnes actus non cognosce à nobis, quia supernaturales sunt. Si enim semel tollis de medio argumentū à clarissima, & vniuersali experientia deductum, poterit aliquis omnia figmenta cuiuslibet persuadere, dicendo, ea omnia occultari nobis propter eorum supernaturalitatem.

41

Vnde secundò impugnatur doctrina illa ex eadem experientia; quia si modus tendendi, quem omnes semper experiuntur in se ipsis, non est propter reuelationē sistendo in ipsa, sed resolviendo in alia motiua; rusticus homo, non curabit de imperando sibi alio modo tendendi in obiectum: illud enim solum imperat, quod apprehendit possibile, & illud solum apprehendit possibile, quod experitur: numquam autem experitur per te illum alium modum credendi: deberet ergo accuratè admoneri, & edoceri de hoc à Parocho, vel catechista, quando proponuntur ei fidei veritates, ut conetur credere modo alio possibili sibi ignoto, quē numquā experietur, scilicet credendo reuelationem tanquam primum principium non constans ex terminis euidenter, aut probabiliter. Parochi autem neque hoc docent, neque, si vera est tua sententia, docere possunt cum nec ipsi talem modum credendi vquam experti sint. Vnde ergo possunt miseri illi rustici diuinam talem modum credendi possibilem & necessarium ad recipiendam fidem diuinā; Faciendum ergo tibi erit, eos rusticos ferè omnes per totam vitam manere cum sola fide humana, quam solum sibi imperant, cum non habuerint notitiam aliquam obligationis, aut possibilitatis illius alterius modi tendendi in obiectum formale, nec sine tali notitia potuerint sibi imperare eum modum, quem numquam in se expertus est aliquis in hac vita. Mihi sanè certius est, illam esse fidem diuinā, & supernaturalem, quam hi rustici habent, & quam in se experti, dicunt se esse fideles Christianos, quā illam, quam hi Theologi sibi fingunt habitare in absconditis latebris nostri intellectus, quam nullus vquam hominum, aut Angelorum viatorum in se ipso esse agnoscere potuerit.

42

Tertiò ex eodem capite arguitur, quia ille modus tendendi in reuelationem, quem de facto habet actus fidei diuinæ, non est talis, ut non possit reperiri in actu etiam naturali, ergo non est supra modum, quem intellectus seruat in aliis assensibus circa veritatem non notam ex terminis. Antecedens probatur, quia de facto assensus circa falsam conclusionem, quæ deducitur ex

vno principio fidei, & altero falso, est actus naturalis, cum sit falsus; & tamen ille actus tendit non solum in obiectum conclusionis, sed etiam in obiecta præmissarum, ut ipsimet aduersarij fatentur, atque adeò debet tendere in idem obiectum materiale, & formale, in quod tendebat præmissa de fide, ergo ille actus conclusionis, quatenus saltem in obliquo assentitur obiecto fidei, assentitur propter idem motiū, quod erat in assensu fidei, nam si haberet aliud motiū diuersum, non posset hæc conclusio procedere ex illa præmissa; ergo actus naturalis potest retinere eundem modum assentiendi reuelationi, quem habebat actus fidei diuinæ.

Dices primò, quando conclusio est falsa propter aliam præmissam naturalem falsam, ex qua oritur, tunc non procedere ex præmissa supernaturali fidei diuinæ, sed ex præmissa naturali, quia idem obiectum reuelatum creditum est propter reuelationem non sistendo in ipsa, sed resolviendo ad alia motiua humana, ut dictum est, quare actus conclusionis non debet respicere motiū formale fidei, prout à fide diuinā respicitur, sed prout respicitur ab illa fide naturali, qui modus attingibilis est ab actu naturali.

Sed contra, quia posita præmissa fidei diuinæ, non minùs potest intellectus ex illa, & ex præmissa naturali falsa deducere conclusionem, quā ex alio actu naturali fidei humanæ. Videt enim intellectus ex obiecto fidei diuinæ, & obiecto præmissæ falsæ sequi per euidenter consequentiam talem conclusionem; & quidem non est eadem omnino conclusio, quæ deduci potest ex actu illo supernaturali fidei, & actu fidei naturali; nam cum non sit idem obiectum formale utriusque per te, oportet quod etiam conclusio diuersa sit, saltem quoad obiectum formale: sicut ergo ex actu naturali fidei potest deduci conclusio, poterit etiam illa alia conclusio deduci ex illo alio actu supernaturali, cum euidenter appareat bonitas illationis. Finge enim in intellectu esse solum actum fidei supernaturalem cū illo alio principio naturali falso, ab illo actu naturali fidei, v.g. per actum supernaturalem fidei cognosce, omnes beatos videre Deum clarè, quia Deus summe verax ita reuelauit: rursus per actum naturalem credi Cæsarem Augustum esse beatum: tunc euidenter apparet, ex illis principiis sequi, Augustum Cæsarem videre clarè Deum: poterit ergo intellectus id deducere ex illis præmissis. Cur ergo non poterit, licet detur alius actus naturalis circa primam præmissam? Conclusio enim, ut dixi, non est eadem, quæ ex præmissa supernaturali posset inferri, cum habeat diuersum obiectum formale.

Secundò itaque responderi posset magis iuxta mentem eorum Theologorum negando, posse vquam esse actum supernaturalem, qui deducitur per discursum ex vna præmissa de fide: semper enim ille naturalis est, & ideo etiam si verus sit, non procedit tamen à præmissa supernaturali fidei, sed semper ab illo alio concomitanti fidei naturali, qui versatur circa idem obiectum, licet non sub eodem omnino motiū ultimo: quare actus conclusionis, etiam si verus sit non tamen habet illum modum tendendi ad reuelationem, sistendo in ipsa; qui modus solum reperitur in actu fidei supernaturali.

Hæc tamen responsio difficilior est, & eam impugnabimus *infra d. sect. 9.* Nunc autem breuiter

ter impugnatur, quia ex hac doctrina sequitur primum, ferè omnia bona opera, quæ ab homine Christiano fiunt, non esse meritoria præmij supernaturalis. Nam ij Theologi concedunt, ad opus meritorium requiri actum voluntatis supernaturalis, & hunc debere oriri ex cognitione supernaturali: quibus suppositis, probatur Sequela: nam bona opera ut in plurimum, & ferè semper non oriuntur immediatè ex fide, sed mediata, v.g. ex fide scio eleemosynam placere Deo: cognosco rursus, hunc esse, vel apparere pauperem: infero, bonum esse dare eleemosynam huic homini hic & nunc, qui certè non est actus fidei immediatus, ut constat, cum non sit aliquid reuelatum de hoc homine: ex illo autem actu oritur immediatè voluntas dandi eleemosynam huic pauperi, qui solum oritur mediata ex fide. Si ergo conclusio illa nullo modo oritur ex fide diuina, sed ex fide naturali, consequens est, ut eleemosyna non oriatur villo modo ex fide diuina, & per consequens non sit meritoria, cum solum oriatur ex cognitione naturali. Idem est, quando volumus adorare hanc hostiam, quæ voluntas oritur mediata ex fide diuina dictante sub hostia consecrata esse corpus Christi dignum adoratione, & ex alia cognitione, qua iudico, hanc esse hostiam consecratam, ex quibus inferitur, hanc hostiam esse dignam adoratione, quæ certè non est conclusio de fide; atque ideo voluntas adorandi hanc hostiam non est meritoria, si cognitio illa immediata non procedit villo modo ex fide diuina, sed solum ex humana. Vides, quomodo ex ea doctrina corrumpunt magna ex parte merita hominis Christiani, quæ ferè omnino procedunt immediatè ex cognitione practica deducta ex principiis fidei, & plerumque non sine longo discursu, & attenta meditatione, & cognitione.

Sequitur secundò ex illa doctrina, fidem diuinam, quam habemus, esse ferè otiosam, & inutilem in nobis. Nam licet dicet principia aliqua vniuersalia; illa tamen ferè nunquam mouent immediatè ad aliquid operandum: mediata autem non possunt, quia ex illis principiis fide diuina creditis nõ possumus inferre aliquid, quod nos mouet ad bene operandum: debemus ergo gratias illis actibus concomitantibus fidei naturalis, ex quibus deducimus cognitiones practicas, quæ nos dirigunt ad operandum in his, vel illis circumstantiis: fides enim diuina est cognitio quædam abstracta, & infœcunda, quæ illuminat solum speculatiue circa ea principia vniuersalia, nullo autem modo circa principia practica in particulari. Vbi ergo est doctrina illa Scripturæ, & Sanctorum Patrum, qui fidem dicunt esse fontem, & originem totius vitæ spiritualis omnium meritorum, & bonorum operum. Non potest itaque negari, ex principiis illis fide diuina creditis deduci cognitiones, & conclusiones practicas, quibus postea immediatè dirigimur ad bene operandum.

Quartò principaliter arguitur, quia si illi duo actus fidei diuinæ, & fidei naturalis habet diuersa motiua formalia, oportet, quod voluntas imperet vtrumque distinctè, nec sufficiet imperare fidem in confuso, aut velle credere, ut vterque fiat: intellectus enim in eiusmodi actibus subordinatur omnino voluntati, cuius imperium pretereire, aut excedere non potest. Vnde voluntas non debet solum imperare assensum, sed etiã assensum ex tali motiua formali: si ergo voluntas imperat assensum Trinitatis propter reuelationem præteritã sistendo in illa, non potest ex vi huius imperij intellectus credere propter testimonium Parochi; hoc enim non esset obedire voluntati, sicut neque è contra, si solum imperaret assensum propter reuelationem, quæ inferitur ex testimonio Parochi, posset ex vi huius imperij intellectus sistere in reuelatione: cum ergo illi duo modi assentiendi sint diuersi, oportet, imperari vtrumque à voluntate, ut vterque fiat. Quare quando Parochus proponit articulum falsum non poterit rusticus imperans sibi assensum fidei, qualem habere solet circa articulum verum, elicere non hunc, sed alium assensum diuersum, tendentem in testimonium Parochi, quem assensum ipse non imperauit.

Respondent, voluntatè imperare quidem tunc assensum fidei diuinæ sistentem in reuelatione, intellectum tamen, quia nõ potest illo modo credere articulum falsum, facere quod potest, credendo per assensum naturalem eo modo, quo potest, licet non eo modo, quo imperatur. Sed contra, quia in primis hic certè est nouus obediendi modus, cum non possis facere, quod præcipitur, facere saltem quod prohibetur, ut aliquid facias. Voluntas enim non solum imperat assensum propter reuelationem, sed prohibet progredi ad aliud vltèrius motiuum, hoc enim est sistere in reuelatione; intellectus autem, quia non potest sistere, ut præcipitur, progreditur contra prohibitionem expressam: quis non videt, non posse intellectum ita resistere voluntati, ubi saltem ab euidencia obiecti non cogitur?

Secundò rejicitur responsio, quia licet id concederetur, casu, quo intellectus non posset exequi, quod iubetur & credere propter reuelationem sistendo in ipsa, prout præcipitur, quod tunc posset credere propter reuelationem resoluendo illam vltèrius in aliud motiuum: hoc tamen non deberet vllon modo concedi, quando id, quod præcipitur, potest eodem modo obseruari: quare quando proponitur verus articulus fidei, & voluntas imperat fidem propter reuelationem sistendo in ipsa; hoc solum poterit facere intellectus, & non illum alium assensum naturalem ex superabundantia, qui feratur in reuelationem non sistendo in ipsa. Quorsum enim imperato vno assensu, & prohibito altero, facere vtrūque? Sicut si diceret, quod imperante voluntate assensum circa aliquam veritatem propter reuelationem solum Dei, intellectus eo ipso debeat elicere duos assensum, alterum propter reuelationem Dei, alterum propter auctoritatem Aristotelis. Hoc certè incredulè illiciter assereretur, quia non est connexio necessaria inter illa duo obiecta formalia. Sic ergo imperante voluntate assensum circa Dei reuelationem propter ipsam solum, eut debeat elici necessariò alter assensus circa reuelationem propter auctoritatem Parochi, qui non solum non præcipitur, sed expressè prohibetur à voluntate.

Quintò principaliter, & à priori arguitur, quia voluntas non potest cogere villo modo intellectum ad assentiendum sine suo motiua proprio, quod est veritas obiecti apparet, debet ergo verum illud apparere, vel in se clarè visum, vel certè ex apprehensione terminorum, qui ostendunt, vel clarè, vel saltem obscure connexionem illam inter prædicatũ & subiectum, vel denique

debet apparere illa veritas per aliud, quod sit conexum cum illa, & appareat in se vt supra dicebamus. Hinc est, non posse voluntatem cogere intellectum, vt iudicet, alia esse paria, quia non apparet illa veritas, neque in se, neque in aliquo medio. Hinc etiam est, non posse intellectum cogi, vt credat immediatè, Deum esse Trinum, quia illa veritas non apparet in se, atque idè debet apparere per aliud, nempe per reuelationem, quæ habet connexionem cum illa. Cum ergo reuelatio ipsa non appareat in se, neque ex apprehensione terminorum: Deus enim de se est indifferens ad reuelandum, & non reuelandum, non poterit voluntas cogere intellectum ad iudicandum, Deum reuelasse, nisi ostendatur illa reuelatio vel in se, vel certè in aliquo medio, quod arguat illam.

48

Respondent illi Recentiores, habitum fidei non posse ex imperio voluntatis iudicare, Deum esse Trinum immediatè: posse tamen fieri à Deo alium habitum, qui accedente imperio voluntatis, eliciat assensum immediatum, & obscurum circa Trinitatem, sicut hic habitus elicit assensum obscurum immediatum circa reuelationem, nulla enim est ratio differentie inter verumque obiectum.

Sed contra, peto à te, an prærequerentur tunc motiua credibilitatis, sicut nunc prærequiruntur? Respondebunt, ni fallor, consequenter affirmatiue, ponunt enim illum habitum similem habitui nostræ fidei in modo operandi, excepto quod non tenderet in reuelationem. Dicunt tamen illa motiua non exigi in ordine ad intellectum, sed ad voluntatem, ad hoc scilicet, vt voluntas prudenter possit imperare assensum circa Trinitatè: ipse vero intellectus postea eliciendo assensum nullo modo respicit, vel attendit ad motiua, sed solum elicitur ex imperio voluntatis, quæ non posset imperare talem assensum, nisi ex motiuis proportionatis appareret credibile tale obiectum.

49

Sed contra hoc vrget adhuc difficultas: quia si motiua solum sunt in ordine ad voluntatem, à qua sola postea determinatur intellectus absque vlla attentione ad motiua: ergo si per possibile, vel impossibile poneretur illa voluntas absque vllis motiuis præcedentibus, eodem modo determinaretur intellectus, & iudicaret Deum esse Trinum per assensum obscurum, nec apparente magis connexionem inter extrema, quàm nunc appareat seclusa reuelatione.

Dices, repugnare casum, quia voluntas prærequisita ad determinandum illum habitum infusum debet esse bona, non potest autem imperari honestè, & prudenter ille assensus nisi præcedant motiua. Sed contra, quia in primis non apparet repugnantia in ordine saltem ad potentiam absolutam, quod voluntas naturalis imperaret, & determinaret sufficiens intellectum ad operandum per habitum supernaturalem: imò de facto per actum naturalem voluntatis imperantur actus virtutum supernaturalium. Quod si illa voluntas posset esse naturalis, cur non posset etiam voluntas non prudens determinare sufficiens intellectum ad illum assensum præstandum sine motiuis præcedentibus. Sed demus, debere esse illam voluntatem bonam, & supernaturalem: adhuc posset hæc haberi absque præcedentibus motiuis. Pone enim aliquem ex ignorantia inuincibili apprehendere honestum esse illum assensum nullis præcedentibus motiuis, & hoc vtile esse ad humilitatem consequendam, vel ad alium finem honestum: posset tunc ex af-

fectu erga humilitatem, vel aliam honestatē, velle illum assensum, & per consequens posset per voluntatem honestam, & meritoriam illum imperare. Cum ergo aliunde intellectus ex se non indigeret motiuis vllis cognitis ad assentiendum, iudicaret tunc actum suum obscurum, quo iudicaret Deum esse Trinum, vel sidera esse paria, non apparente magis connexionem inter sidera, & paria quàm nunc appareat. Consequens autem esse absurdum, & non solum supra, sed contra naturam intellectus, nemo non videt. Tunc enim intellectus non moueretur à veritate obiecti, quæ nulla magis appareret tunc, quàm nunc appareat. Vnde merito Augustinus dicit, illum modum credendi esse omnino impossibile lib. de spiritu & littera c. 3. 4. & lib. 1. ad Simplicianum, q. 2.

Dices, habitus supernaturalis, qualis esset ille, non posset elicere assensum falsum; supponeret ergo necessariò veritatem sui obiecti, atque idè semper operaretur circa verum. Sed contra, quia intellectui non sufficit, quod obiectum in se sit verum, vt possit tendere in illud; sed requiritur quod ex se appareat, & repræsentetur in actu primo vt verum, siue per præsentiam claram ad visionem, siue per connexionem terminorum apprehensam: alioquin, si non est hic modus operandi intellectus, non repugnat etiam naturaliter, quod tendat ad obiectum verum, licet non appareat ex se vt verum: imò si sufficeret, obiectum in se esse verum, sequeretur, quod saltem de potentia absoluta posset dari habitus intellectus, qui accedente imperio voluntatis eliceret assensum circa obiectum, quod ex se appareret vt falsum, dummodo re ipsa in se esset verum: Quod tamen nemo concedet. Fatendum itaque est, modum essentialem operandi nostri intellectus, non esse quod tendat ad id, quod in se est verum, sed ad id, quod apparet, vt verum: quādiu autem non apparet vt verum, non potest voluntas etiam de potentia absoluta illum determinare ad assentiendum. Cum ergo reuelatio non appareat in se magis vera, seclusis motiuis præcedentibus, quàm sidera esse paria non poterit voluntas aliqua, seclusis illis motiuis, determinare ad credendam reuelationem, nec intellectus poterit eam credere, non attendendo vllò modo ad ipsa motiua, sed debet etiam immediatè moueri ab illis, non quatenus præcisè sunt motiua humana, sed quatenus integrant motiua diuinum reuelationis, & loquutionis mediata Dei, prout infra explicabimus.

SECTIO V.

Examinatur tertia sententia resolvens fidem partialiter in auctoritatem Ecclesie, vel proponentis

Tertia sententia principalis, vt faciliè dissoluatur hunc nodum, & explicet fidei resolutionem sine difficultate, aut incredibilitate, dicit, nos credere mysteria reuelata propter auctoritatem Dei reuelantis: quia nempe Deus est verax, & Deus dicit. Porro Deum esse summè veracem ex se ipso faciliè creditur, neque ad hoc necessaria sūt miracula, vel alia motiua, nec infideles adnegant. Deum autem reuelare hæc, mysteria aliqui cognoscunt immediatè, licet obscure, quibus